

verbi arte se posse fallere Dominum, cui nihil occultum est, et qui non ut jurat quis attendit, sed ut is putavit cui juratum est, et proximi juramento credidit. Qui autem per dolum jurat, ut catholici doctores dicunt, primum Deo reus est, cujus nomen contra præceptum legis assumit in vanum, deinde

A proximo, quem atra fraude fallere putat, dicente Psalmista, quia *Innocens manibus et mundo corde, qui non jurat in dolo proximo, accipiet benedictionem a Domino (Psal. xxiii)*. Sed et sibi ipsi reus est, *Qui accipit in vano animam suam, contradicente Psalmista (ibid.)*.

## XVII.

### DE VISIONE BERNOLDI PRESBYTERI

(Apud eundem, ex codice monasterii Herivallensis.)

HINCMARUS episcopus ac plebis Dei famulus, dilectis fratribus et religiosis viris, ad quorum notitiam hæc quæ sequuntur pervenerint.

(Flodoard, *lib. III, c. 3 et 18.*) Nuper in parochia nostra quidam mihi notus homo, nomine Bernoldus, infirmatus, et post confessionem, et reconciliationem, atque sancti olei unctionem, et corporis Christi ac sanguinis communionem, ingravescente valetudine pene usque ad mortem pervenit: ita ut per quatuor dies nec cibum vel potum capere, nec loqui posset, nisi raro signum facere, ut ei aqua daretur. Quarta autem die hora nona velut exanimis jacuit, adeo ut non posset in eo sentiri halitus, nisi per vices, qui manum suam mittebat ad os illius, vel super pectus ejus, vix sentiebat in eo adhuc spiritum esse: rubor tamen in facie magnus erat, et sic jacuit usque ad mediam noctem. Circa vero mediam noctem apertis oculis, viriliter uxori suæ ac circumstantibus dixit, ut quantocius currerent, et confessorum suum velociter ad se venire rogarent, quia nisi cito veniret, ille vivere non posset. Accito autem presbytero, antequam in mansionem ubi ille jacebat presbyter veniret, cum in exteriorum domum intravit, dixit ille qui jacebat infirmus: Ponite hic sellam, quia presbyter jam domum istam intrabit. Isdem autem presbyter, mox ut ostium est ingressus ubi ille jacebat, incipiens pro eo orationes dixit: Dominus vobiscum, et ille clara voce respondit: Et cum spiritu tuo. Dictis autem orationibus, dixit presbytero ut sederet secus eum; et ait illi: Attente intellige quæ tibi dicturus sum, ut si ego in corpore manens illa nuntiare non potero quæ mihi jussa sunt, tu illa annunties. Et cœpit vehementissime flere, et cum singultibus dixit: Ductus de isto sæculo ad aliud sæculum, veni in quemdam locum, et inveni episcopos quadraginta et unum: inter quos novi Ebonem, Leopardellum, et Æneam, pannosos et denigratos, velut si ustulati fuissent, et squalentes, sicut et alios, et per vices nimio frigore horribiliter cum fletu et stridore dentium tremulantes, et per vices calore nimio æstuentes. Et Ebo episcopus me vocavit ex nomine dicens: Quia tibi dabitur licentia redeundi ad corpus, precamur te ego et isti

B confratres nostri, ut adjuves nos. Et ego respondi: Quomodo vos possum adjuvare? Qui respondit: Vade ad homines nostros clericos et laicos, quibus benefecimus, et dic illis ut pro nobis faciant eleemosynas et orationes, et impetrent pro nobis offerri sacras oblationes. Et ego respondi, quia nescio ubi illorum homines essent. Et ille respondit: Nos dabimus tibi ductorem qui te ad illos ducat. Et dederunt mihi unum hominem, qui me præcessit, et duxit me ad maximum palatium, ubi multitudo hominum eorundem episcoporum erat, et de illis episcopis loquebantur, et ambasciavi ex illorum parte quod mihi jussum fuerat. Inde cum ductore meo rediens, ad locum ubi ipsi erant episcopi reveni, et quasi ea jam quæ postulaverant pro ipsis facta fuissent, erant jocunda facie, quasi a novo rasi et balneati, et habebant albas vestitas, et stolas, et sandalia in pedibus, planetas autem non habebant. Et dixit mihi præfatus Ebo: Vides quantum nos adjuvavit tuus missaticus? Usque modo nimis durum custodem et custodiam gravem sicut vidisti habuimus, modo habemus domnum Ambrosium custodem, et levem custodiam. Inde veni in quemdam locum tenebrosum, ad quem ex alia parte lux resplendebat de vicino loco satis lucidissimo, et pulcherrime florido, et odorifero, ad eundem locum tenebrosum. Et vidi ibi jacere domnum nostrum Carolum regem in luto ex sanie ipsius putredinis, et manducabant eum vermes, et jam carnem illius manducatam habebant, et non erat in corpore ipsius aliud nisi nervi et ossa. Qui vocans me ex nomine meo dixit: Quare me non adjuvas? Cui respondi: Domine, quomodo vos possum adjuvare? Et ait: Prende illam petram, quæ juxta te est, et elevato capite, pone illam sub capite meo: sicut et feci. Et dixit mihi: Vade ad Hincmarum episcopum, et dic ei, quia illius et aliorum fidelium meorum bona consilia non obaudi, ideo ista quæ vides, pro culpis meis sustineo. Et dic illi, quia semper in illo fiduciam habui, ut me adjuvet, quatenus de ista pœna sim liberatus, et per omnes qui mihi fuerunt fideles ex mea parte postulet ut me adjuvent, quia si inde certamen habuerint, cito de ista pœna ero liberatus. Et interrogavi illum, quis

locus esset, unde illa lux resplendebat, et tantus odor respirabat. Qui dixit : Sanctorum est requies. Ego autem volens propius ad illum locum accedere, vidi tantam claritatem, et tantam suavitatem, tantumque decorem, quantum humana lingua dicere non potest. Et vidi ibi multitudinem hominum diversi ordinis in albis vestibus collatantium, et quædam sedilia lucida, in quibus homines adhuc non sedebant, quibus præparata erant. Et in illo itinere vidi quamdam Ecclesiam, quam cum intravi, inveni Hincmarum episcopum præparatum cum clericis vestitis ut missam cantaret, et dixi illi hoc quod dominus noster Carolus mandavit. Et statim reveni ad locum ubi dominus Carolus jacuerat, et inveni illum in loco lucido, et sanum corpore, et indutum regiis vestibus, et dixit mihi : Vides quomodo me adjuvavit tuus missaticus? Inde veni ad quamdam petram grandem et altam, et inveni ibi hominem unum implantatum in eadem petra usque ad ascillas. Qui vocans me dixit : Ego sum Jesse : vade ad amicos meos, et dic illis ut me adjuvent, quatenus de ista petra sim liberatus. Et ego respondi me nescire ubi illi homines essent. Et ille dixit : Cum hinc perrexeris, invenies eos in via. Et vidi juxta illam petram magnam et altam, profundam vallem, et puteum teterrimum, et aquam nigram quasi pix esset, et interrogavi illum hominem qui se Jesse nominavit, quid esset ille puteus. Qui respondit : Exspecta hic parum, et tu ipse videbis quid sit. Nam me tantum non gravat ista pœna mea, quam sustineo, quantum timor de hoc quod videbis. Et subito flamma et fumus processit de ipso puteo quasi usque ad cœlum. Et residente flamma in puteum, et evanescente fumo, erant quatuor dæmones, qui multitudinem animarum, per quatuor partes divisas, per ipsum puteum minabant usque ad quamdam aquam nimis frigidissimam, sicut animalia minari solent ut adqueantur. Et dixit ipse Jesse : Hoc quotidie faciunt isti dæmones, et sustinent istæ miseræ animæ una vice in die, pro quibus nulli amicorum illorum laborant. Nam si aliqui laborassent pro illis, istam pœnam non sustinerent. Inde procedens, obviam habui homines colloquentes de præfato Jesse, et dixi illis quæ ipse Jesse eis mandavit. Inde redii ad præfatam petram, et inveni ipsum hominem indutum albis vestibus, et sedentem in sede honesta. Qui mihi multas gratias retulit de missatico quem injunxerat. Inde veni ad quemdam locum, et inveni Otharium comitem, capillos et barbam habentem, sed et totum corpus miseria et squalore infectum et nigrum. Qui se abscondere voluit ne illum viderem. Cui dixi : Domne comes, quid hic facis? Qui respondit : Propter mea peccata hic sum, et sustineo quæ vides. Et iste meus custos, qui me hortatus est in vita mea illa mala facere quæ feci, adhuc hortabatur ut me absconderem ne tu me videres. Sed precor te in amore Dei, vade ad uxorem meam, et ad homines et amicos meos, et dic illis ut pro me elemosynas faciant, et orationes fieri obtineant, ut de

A ista pœna liberer : et uni homini meo commendavi aurum et argentum meum, quod nemo alius sapuit nisi ego et ille, et adhuc ne unum quidem denarium pro me inde donavit. Et visum est mihi ut statim fuisset apud Vongum in mallo, et dixi suis hominibus, et aliis qui ibi erant, quæ mihi injunxit. Et statim fui in spiritu ad illum locum ubi erat Otharius, et erat quasi a novo rasus et balneatus, et sanus corpore, et albis vestibus indutus, et ille suus custos durus ibi non erat. Qui dixit mihi : Vides quantum me adjuvavit tuus missaticus? Et ille meus custos jam de me potestatem non habet. Et erat ibi unus homo valde honestus, qui dixit mihi : Tu ibis de isto sæculo ad corpus, et stude per elemosynas et alia bona opera, et per bonam vitam, ut quando huc reveneris, bonam mansionem habeas. Et dixit mihi qualiter pauperes pascerem et vestirem secundum meam possibilitatem. Et alius homo rustica facie et torvo vultu erat ibi, qui dixit : Non hinc ibit. Cui ille homo honestus respondit : Sic faciet, et per quatuordecim annos adhuc in corpore erit, et inde huc veniet. Cui ille rusticus respondit : Quos tu quatuordecim annos dicis, ego quatuordecim dies faciam, et non vivet amplius usque dum huc reveniat. Et ille homo honestus : Sic erit sicut ego dico, non sicut tu, quia ecce hic est suus advocatus et fidejussor, et tu eris ibi mecum. Sicque petiit sacram communionem. Qua accepta, bibit quasi dimidium staupum de vino, et dixit : Modo manducare possem, si haberem. Et datus est illi cibus, et manducavit, et ab inde convaleuit. Ego per quosdam divulgari hæc audiens, quia ille redivivus ad me venire non potuit, præfatum presbyterum bonæ intelligentiæ ac bonæ vitæ, cui hæc retulit, ad me accersitum quæ scripta sunt mihi ex ordine feci narrare, vera illa esse credens, quia hujusmodi, et in libro Dialogorum sancti Gregorii, et in historia Anglorum, et in scriptis sancti Bonifacii episcopi et martyris, sed et tempore domni Ludovici imperatoris ætate nostra cuidam Witino viro religioso revelata relegi. Unde, fratres charissimi, hæc relegentes semper pavidi semperque suspecti, dum in hoc corpore sumus, de mansionibus quas exuli corporibus habituri sumus, cogitantes, remedia nobis a Deo insinuata atque collata non negligamus, et commissos nobis, ac quoscunque adire poterimus, non negligere commoneamus, quia sic mors cum venerit vincitur, si antequam veniat semper timeatur. Pro domno quoque nostro quondam rege Carolo, ut ei Dominus bona æterna conferat, studiosissime imploremus, per cujus potestatem nobis bona temporalia contulit. In quo ex hac visione duo judicia Domini perpendere possumus : videlicet ut cum pœnis quas sustinebat, etiam ex objecta sanctorum requie ut luce resplendente a longe, qui promereri in corpore positus poterat et necdum promeruit, conscientia torqueretur : quemque futura spes aliquantulum refovebat, sicut et nos hortantur Scripturæ, ut sic peccata nostra perturbent, quate-

nus mens in desperationem non proruat, sic Dei misericordia nos refoveat, ut nullo modo negligentes reddat. Sed et pro fratribus nostris, qui nos cum signo fidei in unitate sanctæ Ecclesiæ præcesserunt, dilectionis visceribus Domini misericordiam deprecemur, ut pro solatio illis impenso fraterna nos ad invicem charitate consolemur, sicut scriptum est, *frater fratrem adjuvat* (*Prov. xviii*), et ambo consolentur. Illi quidem qui nos præcesserunt, de charitatis solatio sibi a nobis impenso, et nos de fraternæ dilectionis merito a Deo nobis reddendo consolemur. Cæterum quod redivivus ille dixit, quosdam se prius in pœnis, et subsequenter quasi liberatos vidisse, intelligendum æstimo, quia si ea pro illis gesta fuerint quæ petierunt, liberatio subsequetur, quæ speciatenus ostenditur. Nam et in Scripturis sæpe futura, quasi jam facta tempore præ-

terito, causa certitudinis dicta legimus, et visiones prophetarum et aliorum sanctorum, per species diversas ostensas fuisse cognoscimus. Quia nondum ad hoc pervenimus quod scriptum est, *facie ad faciem Domini gloriam specularantes* (*I Cor. xiii*). Nondum enim apparet quid erimus: et licet nondum appareat quid erimus, spe tamen salvi facti sumus. Verum quia mors certa et exitus nostri hora nobis est incerta, debemus sedula mente ruminare sententiam beati Prosperi de verbis sancti Augustini ex Scripturæ tramite adnotatam, quæ ita se habet (*cap. 20*): « Peccata sive parva, sive magna, impunita esse non possunt, quia aut homine pœnitente, aut Deo judicante plectuntur. Cessat autem vindicta divina, si conversio præcurrat humana. Amat enim Deus confitentibus parcere, et eos qui semetipsos judicant, non judicare. »

## XVIII.

### HINCARI CONSILIUM DE PŒNITENTIA PIPPINI REGIS

(Apud eundem, ex codice S. Laurentii Leodiensis.)

Sanctus papa Gregorius in decretis ad Felicem Siciliensem episcopum diffinivit dicens (*lib. xii, epist. 32*): « Progeniem suam unumquemque de his qui fideliter edocti, et jam firmata radice plantati stant inconvulsi, usque ad septimam observare decernimus generationem, et quoad se cognoscunt affinitate propinquos, ad hujus copulæ non accedere societatem: nec eam, quam aliquis ex propria consanguinitate conjugem habuit, vel aliqua illicita pollutione maculavit, in conjugium ducere ulli profecto licet Christianorum, vel licebit, quia incestuosus est talis coitus, et abominabilis Deo, et cunctis hominibus. Incestuosos vero nullo conjugii nomine deputandos a sanctis Patribus dudum statutum esse legimus. » Et item papa Gregorius hinc inter alia in decreto synodali ante beati Petri corpus diffinivit hoc modo (*Greg. II, can. 9*): « Si quis de propria cognatione, et quam cognatus habuit, duxerit in uxorem, anathema sit. Et responderunt omnes tertio, Anathema sit. » Et hinc sacri canones dicunt (*conc. Epau. can. 30*): « De incestis conjunctionibus nihil prorsus veniæ reservamus, nisi cum adulterium separatione sanaverint. Incestuosos vero nullo conjugii nomine deputandos, quos etiam designare funestum est. Sane quibus conjunctio illicita interdicitur, habebunt ineundi melioris conjugii libertatem. »

Sanctus Siricius in decretis suis, de apostatis monachis (*cap. 6*): « Has, inquit, impudicas detestabilesque personas a monasteriorum cœtu ecclesiarumque conventibus eliminandas esse mandamus: quatenus retrusæ in suis ergastulis, tantum facinus continua lamentatione deflentes, purificatorio possint pœnitendinis igne decoquere, ut eis vel ad

mortem saltem, solius misericordiæ intuitu, per communionis gratiam possit indulgentia subveniri. » In hoc capitulo stat modo Pippinus, et in alio capitulo quod de apostatis idem Siricius decrevit (*cap. 3*): « Quia vero nunc dicit se pœnitere de præteritis malis, quia habitum et professionem suam deseruit, et sacramentum quo se constrinxit graviter violavit, et quia cum paganis se junxit, et profitetur se ad suam professionem et habitum velle redire: quoniam illius causa synodali diffinitione atque judicio decreta fuit, si tempus et locus permitteret, synodali judicio immutari debuerat. Nunc autem, quia huic judicium, et hinc nos circumstat misericordia, pro judicio synodali sequenda nobis sunt quæ a sede apostolica et per synodalia judicia sunt diffinita, dicente beato Leone (*epist. 59 ad Theod.*), quia in dispensandis Dei donis non debemus esse difficiles, nec accusantium se gemitus lacrymasque negligere, cum ipsam pœnitendi affectionem ex Dei credamus inspiratione conceptam, dicente Apostolo: *Ne forte det illis Deus pœnitentiam, ut resipiscant a diaboli laqueis, a quo capti tenentur ad ipsius voluntatem* (*II Tim. 1*). » Et item idem in decretis suis dicit (*epist. 95, cap. 13*): « Propositum monachi, proprio arbitrio aut voluntate susceptum, deserere non potest absque peccato. Quod enim quis vovit Deo, debet ei reddere. Unde qui relicta singularitatis professione, ad militiam vel nuptias devolutus est, publicæ pœnitentiæ satisfactione purgandus est: quia etsi innocens militia, et honestum potest esse conjugium, electionem meliorum deseruisse transgressio est. » Et quia Pippinus se paganis sociavit, qua societate multa mala in Christianitate profecta sunt, sequen-